

7
Quando Faventini ivere Bretenorijum, et quando Forumpopilienses
juravere praecepta potestatis Faventiae.

CAP. CCXVI.

1236 &c 9.

Anno mcccxxxvii die ix mense Junii Faventini eorum parantes exercitum, civitatem exiere Faventina [a], et iuxta civitatem Forolivii per Sanctum Martinum in strata transierunt, et hospitati sunt de voluntate Liviensium ex eadem parte fluminis in confinio Maliani. Secundo itaque die, in confinio Bretenorii et Forumpopiliis hospitare, eorum vineas, segetes, et arbores inimicabiliter devastando; et ex alia parte Caesenates nostri laeto animo accesserunt, illud idem in arboreibus, vineis et segetibus exercentes. Timentes nostri Popilienses, ne eis simile contingat, praecepta potestatis Faventiae iuraverunt obnixe, qui obsides viginti ei inducendo Faventini concesserunt [b]. Tertia vero die, apud Meldolam pernoctarunt, et, salvo honore Imperii [c], Jun. 9
praecepta potestatis, sine obsidibus attendere iuraverunt. Quarto namque, in planu Castelnovi [d], Jun. 10
cives ad mortem dolentes, quia nostri consueverant antiqui esse amici, hospitaverunt, et circa horam vespertinam, cives more solito, una cum hominibus de Mutiliana sese armis induentes, similes facti sunt aquilis velociores, leonibus fortiores in operibus eorum, et burgum iuxta trona [e] praeliando ceperunt, et per viam asperam atque declivem valde horribilis visu [f] eos, alii ex obliquo, alii ex tramite recto [g], usque supercilium Spicli [h] persequuntur et capiunt [i], et ignem in domibus burgorum apponunt [j]. Quinta vero die, praecepta potestatis Faventiae iuraverunt, et ei obsides viginti inducendo concesserunt; et die eodem, dum per medium castrum Meldolae, et per civitatem Liviensem cives etiam [k] victrices reportarent aquilas, ab eis, ultra quam dici potest, honorifice recipiuntur hoc modo: scilicet crateres magnas statuerunt per stratum ad vina bibenda. Et tenentes Meldolenses, ac Livienses dextris cyathos etiam vina [l] biberunt; et datori affuit receptorique laetitia Bacchus, et vos, o cives, centum honorate Faventinorum [m].

(74)
Nota tenorem pacis.

Scilicet quod retinebunt civium amicos pro amicis, et inimicos (pro inimicis), et quod dabunt castrum communem Faventiae, quotiescumque voluerint, et quod accipient potestatem de civitate Faventina in perpetuum, et quod iurabunt sequi montem annuatim cum Faventinis; et quod facient guerram inimicis Faventinorum ad mentem potestatis Faventiae, et totius consilii, et quod facient milites, et imponent arma pro guerris civium. Et quod tempore guerrae nullam cum inimicis Faventinorum facient

[a] civitatem exiere Faventina. Codd., civitatem exiere Faventinam. — [b] ei inducendo Faventini concesserunt. Sic Codd. V. et A. — [c] salvo honore Imperii, C. V.; salva licentia Imperii, C. A. — [d] in planu Castelnovi. Codd., in planum Castelnovi. — [e] juxta trona. Sic omnino Codd. — [f] horribilis visu, C. A.; horribili visu, C. V. — [g] alii ex obliquo, alii ex tramite recto, C. A. — [h] usque supercilium Spicli, C. V.; usque super cilicam Spineti, C. A. — [i] et capiunt. In C. V., et capiuntur. — [j] burgorum apponunt. In C. V., burgorum apponentes. — [k] cives etiam. Codd., cives et. — [l] etiam vina. Codd., et vina. — [m] centum honorate Faventinorum. Sic C. V. — [n] sequi montem, C. A.; sequi mentem, C. V.